

inic onhuehuetzi nohuian necocampa quitzitzitzquiticac Angel; auh ini neololol, ini nechìchiuh chichiltic, auh teocuitlatl iniquechtlan ic çaliuhtica; auh ini Atlapal nepapan quetzalli, nepapan ihuitl çoçouhticac, quihuicaticac ini màma Angel; auh inic neçi huel iuhqui in pac-ticac motlamachtiticac inic quimonapalhuitica in ilhui-cac Tlàtoçaçihuapilli.

(Sequitur narratio quorundam miraculorum, quam non est necesse hic apponere).

Versio latina  
praecedentis Mexicanæ Narrationis.

Hic enarratur quomodo valde mirabiliter Tepeyacac apparuit Sancta Maria semper Virgo, Dei Genitrix atque Domina nostra, quae dicitur Guadalupe.

Prius B. V. se videndam praebuit indo, cui nomen Joannes Didacus; deinde pretiosa ejus Imago coram novo Episcopo D. Fr. Joanne Sumarraga apparuit. Et multa operatur mirabilia.

Decem transactis annis post devictam Mexici urbem, armis jam depositis et scutis, civibus in pace commorantibus, stabiliri jam inceperat, florebat, atque effulgebat veri Dei, vitae auctoris, fides atque cognitio. Tunc, ergo, anno millesimo quingentesimo trigesimo primo, post dies aliquot mensis Decembris, cum esset quidam indus pauper et inops, cui nomen Joannes Didacus, ut fretur, ex *Quauhtitlan*, cujus, quantum ad spirituales

administrationem, ad religiosos in *Tlatilolco* residentibus cura pertinebat, die Sabbatho valde mane *Tlatilolco* rem divinam ille adibat: ut autem ad collem *Tepeyacac* dictum advenit, jam illucescebat: cantum ergo supra collem audivit quasi avium plurimarum, quarum vox, ut cessabat, illico in colle audiebatur repercussa. Suavis supra modum, atque gratissimus ille cantus; *Coyoltotl*, et *Tzinitzcan*, (1) aliasque canoras aves dulcedine superabat. Admirans stetit Joannes Didacus, dixitque sibimetipsi: Nunquid hoc audiendi dignus sum? Hoc fortasse somnium? Ubinam sum? Nunquid in paradiso? Nunquid in terra coelesti? Oculos in collem levabat versus solis ortum, unde prodibat coelestis ille, et placidissimus cantus. Ut vero cantus cessavit, nec jam fuit amplius auditus, vocatum se audivit e superiore parte collis: *Dilecte Joannes Didace* (2) dictum est ei. Statim illuc ausus est ascendere unde se vocari cognovit: nihil haesitat ille, nec detinetur pavefactus; verum alacris, et gaudens collem ascendit, illuc oculos intendens unde se vocatum audivit. Ut autem supra collem advenit, Dominam vidit stantem, quae illum ut ipsam adiret voca-

(1) In Opere mexicano cui titulus *La Naturaleza*, tom. I, in Catalogo avium mexicanarum legitur: *Pyrranga hepatica*, Sw. *Coyoltotl*.—*Trogon puella*, Gould. *Tzinitzcan*. De his avibus, prima ut bene cantans laudatur à P. Sahagum et a P. Clavijero; et bene cantare notum est: quantum ad secundam, de ejus pulcherrimo vestitu, non de optimo cantu, meminerunt praedicti auctores; et eodem sensu de ea tractat Manrique in articulo in additis in tom. iv. operis mexicanum *La Naturaleza*, et hoc nomen ei tribuit, *Trogon mexicanus*. Verum in *Narratione Mexicana*, quae hic latine vertitur, uti cantu aestimabilis *Tzinitzcan* adducitur. Quae erat haec canora avis? Nunquid perii ejus species?

(2) Mexicane haec duo nomina, *Joannes, Didace*, habent particulam affectuosam *tzin*, cujus loco hic ponitur nomen adjectivum *Dilecte*.

vit; Cum ante illam pervenit, valde miratus est quantum esset decora, vestis ejus sicut sol effulgebat; petrae quoque et saxa, supra quae eminebat, quasi lapides pretiosi in ditissimo stratu elucebant; solum vero iridis coloribus ornabatur; foliae autem et prosopis, (1) et opuntiae, (2) et aliarum, quae ibi nascebantur, parvarum herbarum, velut smaragdus, velut turcica gemma, sic apparebant; rami autem earum et spinae ac si aureae essent elucebant. Coram Domina sese humillime prostravit; gratissima et benignissima verba ejus audivit, quomodo tenerrimo amore dixit illi: *Audi*, (3) *Joannes* (4) *fili, quem quasi parvulum et delicatum tenerrime diligo*, (5) *quo petis?* Respondit ille: *Domina, Virgo, Mexicum Tlatilolco vado in domum tuam, ad rem divinam, et doctrinam, quam nobis ostendunt et docent Domini nostri Ministri, Sacerdotes nostri.* Illico voluntatem suam illi Virgo declaravit; ait illi: "Scito, dilectissime fili, Sanctam Mariam me esse, semper Virginem, Matrem veri Dei, vitae auctoris, qui omnia creavit, et omnia sustinet, Domini coeli et terrae: volo igitur ut in loco isto templum in meum honorem aedificetur, ubi omnem meum amorem ac pietatem ostendam,

(1) *Mizquitl*, Prosopis dulcis, H. B.?

(2) *Nopalli*, Cactus opuntia, L.?

(3) Mexicane habetur in hoc imperativo significatio benignitatis.

(4) Hoc nomen habet mexicane particulam affectuosam.

(5) Hic aptior est modus ad exprimendam significationem illius tenerrimi amoris quo B. V. M. mexicane Joannem Didacum est allocuta. Jam deinceps non necesse erit in colloquutionibus B. M. V. et Joannis Didaci, mexicano sermone, adnotare significationem benignitatis et amoris V. M. et reverentiae Joannis Didaci, quae significatio non semper latine exprimi potest. Scire sufficiat ita loqui Sanctissimam Virginem, uti decet Reginam et Matrem misericordiae; atque ita loqui Joannem Didacum, uti proprium est viri simplicis, et humilis corde.

auxilium et defensionem impertiam, quoniam ego clementiae Mater, et tibi, et tuis, et aliis quibuscumque, qui diligunt me, et qui devote et confidenter me invocaverint, et quaesierint: ibi lacrymas illorum exaudiam, in angustiis benefaciam, et in omni tribulatione remedium afferam. Ut autem meum pium desiderium adimpleatur, Mexicum adi in domum Episcopi: te a me missum dices illi, ut ipsum scire facias quomodo meum in honorem templum hic volo aedificari; atque illi enarrabis quidquid vidisti, et audivisti, et admiratus es; corde etiam tibi insitum sit grate me opus tuum et servitium accepta habere, atque pro illiis bona et laeta tibi ireddituram, pro quibus optime mereris. Audivisti ergo, dilectissime fili, verba mea: vade igitur, et fac." Illico coram illa Joannes se prostravit, et dixit: *Domina mea, Regina, vado ego humilis servus tuus ad tuam voluntatem et verbum tuum adimplendum.* Descendit ergo ut illud exequeretur, atque in Mexicum iter arripuit.

Ut pervenit intra civitatem, statim domum adivit Episcopi, qui nuper advenerat, cui nomen D. Fr. Joannes de Sumarraga, Ordinis Sancti Francisci. Atque ut illuc advenit, ipsum videre satagit, pro quo famulos rogat. Episcopum tandem est allocutus, ipso jubente ut introiret. Ut coram illo ingressus est Joannes, statim genuflectit, atque manifesta facit et refert Reginae Coeli voluntatem et verba, ad quid ipse missus sit, atque etiam omnia quae admiratus est, quae vidit, et audivit. Ut autem Antistes Joannem audivit, quasi non omnino credens, illi respondit: *Fili, iterum venies, et adhuc audiam te: ego autem mihi cogitabo quid facere oporteat de tua voluntate et desiderio.* Tristis abiit Joannes, eo quod non fuit adimpletum illud ad quod missus fuit.

Eodem die reversus Joannes, collis summum ascendit, atque ad Coeli Reginam pervenit, quae illum aspicebat ab eo ipso loco ubi prius illam vidit: coram illa

sese humillime prostravit, et dixit: *Domina mea, Regina, Virgo, illuc quidem ivi, quo me misisti; verbum et praeceptum tuum adimplevi; licet difficiliter, ad Antistitem intravi, atque uti praecepisti mihi, verbum et voluntatem tuam exposui coram ipso: urbane ille se gessit erga me, et benigne audivit; sed ita respondit quasi corde non credens: dixit mihi: iterum venies, adhuc audiam te: mihi cogitabo de tuo desiderio et voluntate. Ex ejus responsione satis cognovi ipsum non intendere templum hic extruere quod vis, fortasse eo quod per te ego haec ago: Precor te enixe, Domina mea, Regina, Virgo, ut nobilem aliquem virum et honoratum adhibeas, cui tuam voluntatem et verbum committas ut deferat, ut ipsi fides habeatur: ego enim vir pauper sum, et vilis, et ignotus, qui ibi nihil valeo quo me mittis. Virgo, Regina, Domina mea, ignosce mihi; ne vultum et cor tuum offendam, nec in tuam indignationem incurram. Respondit illi Virgo venerabilis: Audi, fili mihi dilectissime: sunt qui serviant mihi, quos mittere possem, quibus verbum meum et voluntatem adimplenda committere possum; verum te adire necesse est, te de his loqui, et ea adimplere, quae hac de re mihi placent et volo: magnopere ergo tibi commendo, dilectissime fili, atque praecipio quatenus crastina die rursus Episcopum adeas, et ex me ipsum scire, et audire facias quod volo, et quod mihi placet, ut illud adimpleat, et templum meum erigat: dices illi, me Sanctam Mariam semper Virginem, et Dei Matrem, te ad ipsum mittere. Respondit Joannes Didacus, et dixit: Regina, Virgo, Domina mea, nequaquam vultum tuum et cor offendam: libenter adibo tuam voluntatem et verba adimpleturus; nullatenus recuso: fortasse aures praebat; et si audierit, fortasse mihi credat. Crastina die ad vesperam, ad solis occasum, Sacerdotis auctoritate praediti ad te offeram responsionem. Vado ergo, Mater, Virgo, Domina, et Regina mea, jamque vale. Tunc Joannes domum suam adivit.*

Alter die, Dominica, valde mane domo exivit Joannes Didacus, atque Tlatilolco petiit, rem divinam adire, et

ut praesens numerari, Sacerdotem auctoritate praeditum postea aditurus. Permansit ibi usque ad decimam horam matutinam, ut Missam audiret, et inter assistentes indos numeraretur. Post haec Domini Episcopi domum adivit. Ut illuc advenit, omnem adhibuit diligentiam ut ipsum videre liceret, quod valde difficulter est assecutus. Ingressus ad Episcopum, genuflexit coram illo, et lacrymis perfusus, Coeli Reginae voluntatem ac verba enarravit, ut Virginis nuntius crederetur, atque ipsius Virginis voluntas adimpleretur, et templum ibi strueretur ubi ipsa Virgo volebat et praecipiebat. Antistes plura Joannem interrogavit, atque exquisivit ab eo, ad intelligendum ubinam Beatissimam Virginem aspexit, et caetera omnia quae narrabat. Et licet Joannes declaravit, quidquid vidit, et admiratus est, ita ut apparet eam quam vidit, esse semper Virginem, et Salvatoris nostri Jesuchristi Venerabilem Matrem, at nondum ex his ut verum habuit Antistes quae Joannes deferebat, dixitque ei, se non illa adimpleturum tantummodo propter verbum ipsius, signum aliquod sibi esse necessarium ad credendum quod revera a Coeli Regina missus esset. Ut haec audivit Joannes Didacus, dixit ad Episcopum: Vide Domine, quod petas signum; illico ipsum petiturus Reginam Coeli adibo, quae misit me. Ut vidit Episcopus Joannem tam confidenter haec dicere, nec ullatenus haesitare, dimisit illum. Recedente autem Joanne, quosdam de domo sua sibi probatos viros misit Antistes, qui Joannem sequerentur, et diligenter inspicerent quorsum petat, quem videat, quocum loquatur. Ita factum est. Joannes ergo iter arripuit: qui autem illum sequebantur, cum ille Tepeyacac advenit, jam non viderunt eum, quamvis omni adhibita diligentia quaesierunt illum: quapropter valde irati sunt reversi, atque Antistiti suggerunt ne Joanni fidem habeat; deceptorem ipsum dixerunt, qui a se inventa, aut quae

somniauit loqueretur, et sibi fieri postularet; unde si rediret, apprehensum severe puniri faciat, ne ultra decipere intendat.

Altera die (Feria secunda, sive die Lunae) quando Joannes Didacus signum aliquod ferre debebat, ut sibi crederetur, redire ipsi non licuit, eo quod domum adveniens, avunculum, cui nomen Joannes Bernardinus, gravi morbo oppressum invenit: illius curationi incumbit; nec tamen vis morbi remittebat; propterea quod ea ipsa nocte Bernardinus Joannem Didacum rogavit ut in crastinum exeat valde mane, Tlaltilolco adeat, Sacerdotem vocaturus, qui Poenitentiae Sacramentum ipsi administraturus, et ad bene moriendum paraturus adveniat, quoniam optime noverat se de lectulo non surrecturum, sed morbo illo moriturum.

Altera die, (Feria tertia) domo summo mane egressus Joannes Didacus, Tlaltilolco petiit, Sacerdotem vocaturus. Cum autem accederet Təpeyacac, qua iter ducit versus solis occasum, qua antea transibat, dixit apud semetipsum: si huc iter faciam, Regina aspiciet me, atque demorari faciet, ut signum Sacerdoti auctoritate praedito deferam, uti praecepit mihi: his in angustiis Sacerdotem meo misero avunculo deferre necesse est. Vertit ergo iter versus solis ortum per alteram collis partem, ut Mexicum cito veniret, nec a Coeli Regina videretur, et detineretur. Vidit ergo Reginam de colle descendentem unde ipsum aspiciebat, quae venit obviam illi ad puteum, qui collem ad ipsum erat, dixitque: *Quorsum tendis, dilecte fili?* Joannes afflictus, verecundia et timore correptus, coram illa prostratus, salutavit eam, et dixit: "Salve Virgo, Mater, Regina. Prospera tibi dies? Optima tibi salus, Regina et Domina mea? Ne vultum et cor tuum offendam. Scito igitur, o Virgo, quoniam gravi infirmitate servus tuus meusque avunculus laborat, et absque dubio morietur: vado festinus Mexi-

cum ad templum tuo honore dicatum, Domini nostri Ministrum et Sacerdotem nostrum vocaturus, qui ejus audiat confessionem, atque sacro oleo illum inungat; quoniam mortales nati sumus. Cum autem haec perfecerim, huc veniam, ut verba tua, et voluntatem tuam ad Antistitem deferam. Ignosce Domina, Virgo, benigne sustine; nec enim praetendo excusationem, Domina mea nobilissima. Crastina die te videndam redibo. Ut Virgo piissima verba Joannis audivit, illi respondit: Audi, dilecte fili: Nullatenus timeas, neque corde doleas, nec aliquid facias tui avunculi infirmitatem, aut quamlibet angustiam. Nunquid hic non adsum ego Mater tua? Nunquid non mea sub protectione tu es constitutus? Nunquid ego non vita et salus? Nunquid tu non sub mea cura subsistis? Nunquid aliud quidquam tibi necesse est? Nihil doleas, nec turberis: nihil avunculi timeas infirmitatem: non morietur adhuc; scito, jam sanus est. (Et eadem hora avunculus ejus sanus factus est, uti postea manifestum fuit) Ut Joannes Didacus Coeli Reginae verba audivit, maxime laetatus est, et corde acquievit: rogavitque ut ipsum mitteret ut Dominum Episcopum adiret, et signum illi deferret, quo ipsi fidem haberet. Praecepit ergo illi Coeli Regina collem ascendere illum ipsum in locum ubi antea viderat eam: "Ascende, inquit, dilecte fili, supra collem, atque eo loco ubi me vidisti, et tibi locuta sum, rosas videbis: accipe, et collige illas, atque inde descendens, affer illas coram me. Joannes ergo illico collem ascendit. Ut vero supra illum pervenit, valde miratus est quod rosae ibi eruperant pulcherrimae, quae tunc quidem, aspera hyeme, oriri non poterant; rore coeli erant respersae, cujus guttae velut lapides pretiosi in illis videbantur. Accepit ergo, et collegit rosas. Illae quidem supra collem nullatenus oriri poterant, nihil enim aliud ibi abundat nisi saxa, tribuli, et spinae; non ibi nascitur nisi opuntia et prosopis; et si aliquae parvulae her-

bae ibidem oriuntur, certe, mense decembri, frigido hyeme intereunt. Descendit ergo Joannes, atque ad Coeli Reginam detulit quas collegerat rosas: illa autem ut vidit rosas, suis venerabilibus manibus illas accepit, ac rursus posuit in Joannis palliolo: dixitque illi: Dilecte fili, haec rosae signum sunt quod deferres ad Episcopum; et dices illi quod hinc meam cognoscat voluntatem, et quod volo et mihi placet adimpleat: tu autem a me missus, cujus fidelitati haec committo, cave ne palliolum tuum nisi coram Episcopo explices; et quae defers illi ostendes: narrabis quoque illi quomodo ut collem ascenderes, et inde rosas acciperes, tibi praecepi, et quidquid vidisti et admiratus est, ut credat, et agat de templo erigendo quod volo. Ut ergo haec praecepit Coeli Regina, iter Joannes arripuit Mexicum versus: laetus ibat, et valde sollicitus ne aliqua rosarum decideret, quas palliolo ferebat, quarum fragrantia et pulchritudine perfruebatur.

Cum Episcopi Domum intravit, domus dispensatorem, et alios Sacerdoti auctoritate praedito inservientes invenit, quos Joannes rogabat ut Episcopo nuntiarent se ipsum adire velle, nemo autem voluit, nec verbis ejus aures intendit; sive quod illa hora matutina adhuc non esset opportuna, sive quod noverant illum, ipsisque erat molestus eo quod ab oculis eorum fuit ablatus quando ipsum secuti fuerunt. Postquam longum tempus praestolavit Joannes, videntes illum ibi permanere capite inclinato, si forte Antistitem alloqueretur, atque ipsum aliquid palliolo deferre, illico accesserunt ut viderent quid deferret, et sibi satisfacerent. Videns autem Joannes prorsus ipsi esse impossibile quae ferebat abscondere, eo quod ipsum affligerent, vel ipsi vim inferrent, aut etiam occiderent, (1) rosas paululum exhibuit: illi autem valde sunt demirati, quoniam non erat illud

(1) Ita ille timuit.

tempus quo rosae possent haberi: illae autem erant pulcherrimae et fragrantissimae; aliquas ergo accipere voluerunt: ter apprehendere nixi sunt, et prorsus impossibile fuit illis rosam aliquam manu habere, cum enim apprehendere illas conati sunt, ita videbantur ac si in palliolo depictae essent, vel elaboratae in ipso et intextae. Illico Antistiti quae viderant nuntiaverunt, atque ipsum adire velle indum illum qui saepe antea venerat, quique longum tempus ut ipsum alloqueretur spectabat. Cum haec audivit Antistes, cogitavit sibimetipsi indum afferre signum, quo veritas verborum ejus dignosceretur, et quae ille agebat adimplerentur. Jussit ergo indum ingredi coram se. Ut ingressus est Joannes, prostravit se coram Episcopo, uti antea consueverat, atque illi narravit quaecumque viderat et admiratus fuerat, et ad quid ad ipsum missus erat: dixitque illi: Domine mihi, quae praecepisti adimplevi: dicturus adivi Dominam meam, Coeli Reginam, Sanctam Mariam Dei Genitricem, te signum petere ad mihi credendum, atque ut templum ibi struas ubi ipsa Virgo desiderat: dixi ergo illi me signum aliquod ejus voluntatis ad te afferre promisisse. Audivit ergo quae tu expeteres: benigne tulit te signum petere ad implendum voluntatem ejus; atque hodie valde mane me rursus ad te venire praecepit. Postulavi signum aliquod ut credar, ut dixit mihi se daturam, quod illico adimplevit, et misit me supra collem in eum locum ubi antea videram illam, ut inde rosas colligerem, et collectas ad ipsam infra deferrem: atque suis manibus rosas accepit, ac rursus posuit in palliolo meo, ut illas ad te deferrem, et tibi darem: Certo noveram supra illum collem minime rosas oriri posse, quoniam nihil aliud ibi abundat nisi saxa, et tribuli, et spinae, et opuntia, et prosopis; verum nullatenus dubitavi; atque ut perveni supra collem, inveni floridam terram, in qua rosae plurimae eruperant pulcherrimae; rore erant perfusae, et solis lumine splendentes.

quas illico collegi. Jussitque mihi Regina ad te eas afferre, quod quidem adimpleo, ut videas quod petivisti signum ad implendum ejus voluntatem, atque ut manifesta sit veritas verborum meorum, et nuntiationis meae. Ecce, accipere dignare. Et statim explicuit album palliolum in quo rosae continebantur. Cum rosae sparsae ceciderunt, statim ibi depicta visa est pulcherrima imago Sanctae Mariae semper Virginis, et Dei Genitricis, qualis ad haec usque tempora religiosissime servatur in templo Tepeyacac in ejus honorem dicato, quaeque dicitur Guadalupe. Ut vero vidit illam Dominus Episcopus, et omnes ibi astantes, genua flexerunt, mirati sunt valde, aspicientes detinebantur, tristati sunt, doluerunt, quoniam haec fieri non cogitaverant. Dominus autem Episcopus, illacrymans et tristis, oravit, et veniam petiit, eo quod Virginis voluntatem et verba non adimpleverat: surrexit deinde, atque ex Joannis collo palliolum solvit, in quo depicta visa fuit Coeli Regina, tulitque illud, et posuit in sui ipsius Oratorio. Et die illa Joannes Didacus permansit in Episcopi domo. Postera die dixit illi: vade ut ostendas locum ubi Coeli Regina templum suum in honorem strui vult, ut statim de eo aedificando agatur. Cum Joannes Didacus praedictum locum demonstravit, veniam impetravit suam domum adeundi, avunculum Joannem Bernardinum visurus, qui gravi infirmitate laborabat quando ab illo discessit, Sacerdotem vocaturus a Tlatilolco, qui confessionem ejus audiret, ipsumque inungeret, quemque jam sanitati restitutum dixit illi Coeli Regina. At non dimiserunt illum ut solus adiret; sed duxerunt eum in domum suam: Cum vero pervenerunt, avunculum ejus viderunt perfecta gaudere sanitate; nihil infirmitatis in illo. Ipse autem valde miratus est quod ita honoratus ejus consobrinus adveniret, ipsumque cur hoc ita fieret, cur ita honoraretur interrogavit. Ille autem enarravit quomodo quando Sacerdotem vocaturus adibat,

qui ejus audiret confessionem, ipsumque morti disponeret, Tepeyacac se ipsi videndam praebuit Coeli Regina, ipsumque Mexicum misit, Dominum Episcopum aditurus, ut ibidem Tepeyacac templum ipsi extrueret; dixitque illi quod nihil de sui avunculi infirmitate curaret, quoniam jam sanus erat, propterea quod est valde gavisus. Dixit avunculus revera Coeli Regnam ipsum sanitati reddidisse, illamque ipsum vidisse, ut illam vidit consobrinus ejus, dixitque ei se Mexicum misisse illum, Episcopum aditurus; atque etiam, ipsi injunxit ut quando staret coram Episcopo, quae viderat, enarraret, et quomodo miraculose sanitatem est assequutus; necnon quae sit Virginis advocatio, et quod ejus imago dicatur Sanctae Mariae semper Virginis de Guadalupe. Illico ergo Joannem Bernardinum ad Dominum Episcopum deduxerunt, qui coram illo de iis locutus et testificatus est; atque ipse, et Joannes Didacus per dies aliquot in domo Episcopi permanserunt, dum templum Tepeyacac strueretur in Coeli Reginae honorem ubi ipsa Joanni Didaco apparuit. Ad vero Dominus Episcopus Coeli Reginae sacram Imaginem in Templum Majus detulit, e domo sua illam educens, in cujus Oratorio permanserat, ut omnes viderent illam, et admirarentur. Occurrit ergo universa civitas, venerabilem imaginem videbant, mirabantur, venerabantur, deprecabantur. Valde mirabantur eo quod miraculose apparuit, nec ullus hominum illam depinxit.

*(Sequitur Imaginis descriptio, quae non vertitur eo quod deinde inseritur ex Cabrera.)*

De hujus, quae, hic latine vertitur, Narrationis antiquitate dicetur cum de scriptoribus tractetur.

Felicidad de Mexico  
 en la admirable aparicion de la Virgen Maria nuestra señora  
 de Guadalupe,  
 SU AUTOR,

*El Bach. Luis Becerra Tanco, Presbytero. (1.)*

TRADICION DEL MILAGRO.

Corriendo el año del Nacimiento de Christo Señor nuestro de 1531, y del dominio de los Españoles en esta Ciudad de Mexico y su Provincia de la Nueva-España cumplidos diez años, y casi quatro meses extinguida la guerra, y habiendo comenzado à florecer en aqueste Reyno el Santo Evangelio, sabado muy de mañana, antes de esclarecer la Aurora, à nueve dias del mes de Diciembre, un Indio plebeyo y pobre, humilde y candido, de los recién convertidos à nuestra santa Fé Católica, el qual en el santo Bautismo se llamó *Juan*, y por sobrenombre *Diego*, natural, segun fama, del Pueblo de *Quatitlan*, (2) distante quatro leguas de esta Ciudad àcia la parte del Norte de la Nacion Mexicana, y casado con una India, que se llamó *Maria Lucia*, de la misma calidad que su marido, venia del Pueblo en que residía (dicese haber sido el de *Tolpetlac*, en que era vecino) al Templo de Santiago el mayor, Patron de España, que es en barrio de *Tlatelolco*, Doctrina de los Religiosos del señor San Francisco, à oír la Misa de la Virgen Maria. Llegando, pues, al romper del Alba, al pie de un cerro pequeño, que se decia *Tepeyacac*, que significa *extremidad, ó remate agudo de los cerros*, porque sobre-

[1.] Quidquid ad orthographiam pertinet, ita scribitur ut habetur in editione ex qua haec Narratio modo typis mandatur.

[2.] Scribendum *Quauhtitlan*.

sale à los demás montes, que rodean el valle y laguna, en que yace la Ciudad de Mexico, y es el que mas se le acerca; y el dia de hoy se dice *de nuestra Señora de Guadalupe*, por lo que se dirá despues de esto: oyó el Indio en la cumbre del cerrillo, y en una ceja de peñascos, que se levanta sobre lo llano à orilla de la laguna, un canto dulce y sonoro, que segun dixo, le pareció de muchedumbre y variedad de pajarillos, que cantaban juntos con suavidad y armonía, respondiendose à coros los unos à los otros con singular concierto, cuyos ecos reduplicaba y repetia el cerro alto, que se sublima sobre el montecillo; y alzando la vista al lugar, donde à su estimacion se formaba el canto, vio en él una nube blanca, y resplandeciente, y en el contorno de ella un hermoso arco Iris de diversos colores, que se formaba de los rayos de una luz y claridad excesiva, que se mostraba en medio de la nube. Quedó el Indio absorto, y como fuera de sí en un suave arrobamiento, sin temor ni turbacion alguna, sintiendo dentro de su corazon un júbilo y alborozo inexplicable, de tal suerte, que dixo entre sí: “¿Qué será esto que oygo y veo? ó adónde he sido llevado? ó en qué lugar me hallo del mundo? ¿Por ventura he sido trasladado al Paraíso de deleites, que llaman nuestros mayores origen de nuestra carne, jardín de flores, ó tierra celestial, oculta á los ojos de los “hombres?” Estando en esta suspension y embelesamiento, y habiendo cesado el canto, oyó que lo llamaban por su nombre *Juan*, con una voz como de muger, dulce y delicada, que salia de los esplendores de aquella nube, y que le decian, que se acercase: subió à toda priesa la cuestecilla del collado, habiendose aproximado.

PRIMERA APARICION.—Vió en medio de aquella claridad una hermosisima Señora, muy semejante à la que hoy se vé en su bendita Imagen, conforme à las señas que dió el Indio de palabra, antes que se hubiera copiado, ni otro la hubiese visto: cuyo ropaje dixo “que brillaba